

tuale non est divisio generis in species, sed subjecti in accidentia; non per membra stricte ac physice dividenda, sed per diversos tantum status.

67. R. II. Perseverantia moralis peccati habitualis explicatur proxime et formaliter per negationem satisfactionis vel condonationis.

*Prob.* Peccatum habituale perseverans est peccatum non remissum; ergo sicut offensa principis dicitur moraliter perseverare, ex eo quod physice præterierit, et vel ab offendente non fuerit expuncta per compensationem, vel a principe non condonata; ita offensa Dei.

*Si ais 1º.* Sequeretur, tum quod Deus esset causa peccati habitualis, quia negatio condonationis fundat perseverantiam peccati: tum quod Deus odio haberet suam negationem condonationis, quia aversatur etiam peccatum habituale ut perseverans.

R. N. *seq.* Nam 1º. Deus non condonando non intendit directe perseverantiam peccati, nec proprie conservat, nec positive in illud influit; sed utitur jure suo, quo cedere non tenetur; et nihilominus ad promerendam condonationem disponit et excitat. Homo autem causa dici debet, tum quia posuit actuale peccatum; tum quia contra debitum et obligationem non satisfecit. 2º. Deus aversatur peccatum ut perseverans, ita ut perseverantia sit duntaxat conditio, sine qua non amplius odisset peccatum; non item ratio motiva et provocans indignationem Dei.

*Si ais 2º.* Perseverantia moralis peccati habitualis proxime et formaliter explicatur per obligationem satisfactionis et jus aversandi; tum quia sublato jure et obligatione tollitur peccatum habituale: tum quia obligatio et jus sunt priora, et præsupponuntur ad utramque negationem.

R. N. A. Quia obligatio hæc, et jus illud perseverans præsupponunt tanquam titulum peccatum habituale, et sunt ejus effectus: sicut eadem obligatio et jus primum præsupponunt peccatum actuale, cujus sunt effectus. Tollitur quidem peccatum habituale sublato jure et obligatione, sed qua negantibus præcessisse satisfactionem vel condonationem. Demum obligatio prima et jus primum sunt priora; non vero obligatio et jus perseverans: sic enim ex peccato habituali et ex negatione oriuntur.

## DISPUTATIO III.

### DE PECCATO ORIGINALI.

#### CAPUT I.

##### DE EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS.

*Peccati originalis* nomine intelligimus ex annotatis n. 3. illud, quod a primo homine in omnes ejus posteros naturali generationis via ab eo descendentes transfusum hos ipso originis momento inquinat, reddit Deo inimicos, indignos cælo, et variis vitæ calamitatibus ipsique morti obnoxios. Controversiam de illo *Celestius*, Pelagii socius, aut inter discipulos antesignanus, ad quæstiones præter fidem referre quidem conatus est; sed S. AUGUSTINUS tum epist. 89. (al. 137. n. 11. et seqq.) tum de gratia et pecc. orig. L. 2. c. 24. et L. 4. cont. Julian. c. 2. ostendit, eam ad ipsa Christianæ fidei fundamenta pertinere, unamque esse ex iis, quibus proprie fides Christiana consistit. Quare et nos hanc materiam accurate tractandam censemus, atque eum in finem et errorum et veritatis demonstrationem ac vindicias dare aggredimur.

#### ARTICULUS I.

##### QUINAM CIRCA ORIGINALIS PECCATI EXISTENTIAM FUERINT ERRORES?

68. *Dico I.* Triplex classis est eorum, qui circa peccati originalis existentiam errarunt.

1º. GENTILIUM, qui peccatum originale ignorarunt, et, juxta quosdam, HEBRÆORUM nonnullorum, qui circumcisionem nihil, nisi notam characteristicam populi Judaici ab infidelibus existimabant. Sed ignorantia hæc potius, quam error forte dicenda est; eo quod originale malum ex revelatione duntaxat innotescat.

2º. HERETICORUM, ex quorum erroneis alias opinionibus peccati originalis existentia destruitur. Ejusmodi erant MANICHÆI, alique bina rerum principia diversa, et animam in homine, alteram bonam, alteram malam, fingentes, atque hinc teste S. AUG. L. 20. cont. Faust. c. 46. baptismum tanquam prorsus inutilem rejicientes; quorum dogmata sicut secuti sunt ALBIGENSES, sic baptismum etiam parvulis ad salutem prodesse negarunt. Huc aliqua ratione reduci etiam potest ORIGENES, qui quamvis nullibi peccatum originale negaverit, et baptismi etiam necessitatem ad parvulorum peccata delenda hom. 8. et 12. in Levit. (si tamen hæc commentaria illum auctorem

habeant) assertierit; tamen cum animas ante peccasse docuerit, quam corporibus conjungerentur, non originale, sed habituale peccatum, in superiori vita commissum in baptismo tolli autumasse a quibusdam censetur.

3<sup>a</sup>. Est PELAGIANORUM, quorum capitale dogma et veluti cæterorum errorum omnium basis erat negatio peccati originalis. Hoc autem sequentibus articulis, ut ex MARIO MERCATORE cœvo in Commonitorio, Concilii Carthaginensi et Diospolitano, et S. AUGUSTINO in L. 2. de grat. et pecc. orig. aliisque discimus, constabat: 1<sup>o</sup>. *Adamum mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus.* 2<sup>o</sup>. *Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læsit, et non genus humanum.* 3<sup>o</sup>. *Quoniam infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 4<sup>o</sup>. *Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur, quia neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit.* 5<sup>o</sup>. *Quoniam infantes, etiamsi non baptizentur, habent vitam æternam.* Atque de hac una classè hic et in posterum a nobis agetur.

69. *Dico II.* Erroris hujus auctores et sectatores nonnihil variarunt.

Variatio 1<sup>a</sup>. evenit inter ipsos auctores, CELESTIUM nempe et PELAGIUM, de qua audiendus S. AUG. L. cit. c. 12. *Quid inter istum et Celestium in hac questione distabit, nisi quod ille apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior; vel certe ille liberior, hic astutior? Ille enim nec in Ecclesia Carthaginensi damnare voluit, quod in Romæna postea se tenere confessus est, et corrigi paratum se esse professus est, si ei tanquam homini error obrepserit. Iste autem et illud dogma (in Synodo Diospolitana seu Palæstina) damnavit tanquam contrarium veritati, ne ipse a Catholicis iudicibus damnaretur; et id sibi defendendum postea reservavit, aut mendaciter damnans, aut callide interpretans.*

2<sup>a</sup>. Fuit in defensione dogmatis. Nam 1<sup>o</sup>. PELAGIUS æque ac CELESTIUS sategabant quæstionem hanc inter illas referre, quæ præter fidei periculum in utramque partem disceptari possint, ut S. AUG. L. cit. c. 23. annotavit. 2<sup>o</sup>. Ita damnabant publice suos errores, ut tamen apud discipulos sensum et explicationem hæreticam retinerent. Illud enim, quod dixerant, non tantum primo homini sed etiam humano generi peccatum primum obfuisse, intellegebant factum *exemplo, non propagine*: quatenus nempe Adamum peccantem omnes imitati sint. Alterum, quo fatebantur infantes non esse in eodem statu, in quo Adam ante prævaricationem fuerat, interpretabantur hoc sensu duntaxat dictum, quod infantes *præceptum capere nondum possint, Adam autem potuerit.* Denique ubi baptismum necessarium parvulis asseruerant, necessitatem eam exponebant ad hoc, ut *infantes sanctificarentur in Christo, et hæredes regni cælestis ferent,* non autem ut peccata illis remitterentur. Quin et parvulos in remissionem peccatorum baptizari; sed hoc sensu admittebant, quod eodem baptismo initiarentur, quo iis, qui lapsi sunt, peccata remittuntur: sive qui ex se et natura sua idoneus est ad peccata delenda; ut iterum constat ex S. AUG. L. cit. c. 4. et 5. et aliis in libris ac ep. 106. (al. 186.) passim. 3<sup>o</sup>. Conabantur imponere Rom. Pontificibus INNOCENTIO et ZOSIMO oblati fidei professionibus fraudulentis partim errores suos subdoletegentibus, partim obedientiam definitioni Pontificiæ simulato spondentibus,

atque hac ratione veniam suo dogmati ac indulgentiam sibi a damnatione aucupantibus; ut ex iisdem fontibus habetur.

3<sup>a</sup>. Accidit in ipsa doctrina. Etenim 1<sup>o</sup>. aliqui PELAGIANI, ut refert S. AUG. L. 1. de pecc. merit. c. 33., propria quædam peccata in parvulis recens natis esse dicebant, quæ per baptismum illis remitterentur. 2<sup>o</sup>. Plures argumentis Catholicorum, ut apparet, convicti, docere cœperunt Adamum post peccatum mortalem esse factum, atque ex eo per generationem ab ejus filiis mortem quidem corporis trahi, non tamen animæ, hoc est, peccatum; ut idem Doctor L. 4. cont. 2. ep. Pelag. c. 2. et 4. n. 6. notavit. Cum his sub prima sui erroris initia sensisse JULIANUM, auctor est Marius Mercator in suo Commonitorio, quamvis postea omnem Pelagij hæresin contra S. AUG. defendendam susceperit. Dimidium hunc de originali Pelagianismum renovarunt etiam postremis seculis Zwinglius, Jacobus Faber, et Erasmus. 3<sup>o</sup>. Reliqui omnes, quos alibi notavimus, errores retinuerunt, novosque diu post Sectatores acceperunt in Anabaptistis et Socinianis.

## ARTICULUS II.

### AN EXISTAT PECCATUM ORIGINALE?

70. *Dico.* Existentia peccati originalis est Dogma fidei.

Ita TRID. Sess. 5. statuit, fatetur et declarat: SCRIPTURA SACRA demonstrat: TRADITIO Ecclesiæ evincit: et congruæ RATIONES persuadent. Argumenta hæc validissima jam olim in Pelagianos strinxerunt SS. Patres, qui controversiam hanc data opera disputarunt. Inter eos primus ac præcipuus est S. AUGUSTINUS, qui hanc materiam copiosissime pertractavit in libris de grat. et peccato originali, de nuptiis et concupiscentia, de peccatorum meritis et remissione, contra duas epistolas Pelagianorum, et adversus Julianum; denique in aliis suis libris et epistolis frequentissime. Post hunc idem argumentum studio singulari versarunt S. PROSPER ad Capitula Genuensium resp. 3., S. FULGENTIUS L. de gratia Christi, HUGO de S. Victore L. 4. de Sacramentis, ANSELMUS L. de conceptu Virginali et peccato originali etc.

### §. I.

*Quibus argumentis ex Scriptura probetur et vindicetur existentia peccati originalis?*

71. *Argumentum I.* Sumitur ex Veteri Testamento. Et quidem 1<sup>o</sup>. ex Jobi c. 14. v. 4., quem versio 70. Interpret. sic recitat: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Secundum Vulgatam autem sic Deum alloquitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Sic autem argumentor: Sordes et immunditia, de qua loquitur Job, homini inest ab ipsa ejus conceptione, ut patet ex verbis, atque hinc omnibus inhæret et in omnes propagatur. Sed hæc immunditia non est corporea, sed spiritualis, seu peccatum; tum quia per immunditiam sæpius intelligitur peccatum, ut liquet ex Isa. 64. v. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et tanquam pannus menstruatae universæ justitiæ nostræ:*